DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA DE DOMANIIS PRINCIPUM INALIENABILIBUS...

Ernst Immanuel Tenzell, Johann Friedrich Hase, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONIS INAUGURALIS

DE DOMANIIS PRINCIPUM INALIENABILIBUS

§. I.

BArbarum Domanii eſſe vocabulum, paſſim fatentur Ddres, hinc & originem ejus non latinam, ſed Gallicam eſſe tradunt, vid. BRÜCKNER *de Domaniis Regn. Germanici cap. 1. §. 1. it.* RINGLER *de Domaniis Germaniæ Lib. 1. §. 1.* RÖSENER *de Bonis Domanialibus §. 1. &c.* à voce Gallica *Domaine*, quod Dominatum quendam denotare ſoleat, & à Dominio ita dictum ſit, *conf.* RENATUS CHOPPINUS *in tract. de Domanio Franciæ*, quaſi Princeps aliquod dominium utile in ejusmodi bonis habeat. Licet autem plures adhuc hujus vocis dentur deductiones, tamen in ſingulas inquirere è re noſtra non erit, huncce ſolum ſignificatum attendentes, quod ſcil. viſum quibusdam

Derivatio vocis Domanii.

Digitized by Google

ſit, comparationem inſtituere inter Dotem & Domanium, quaſi Domanium ſit dos Regni, ad onera Reipublicæ ſuſtinenda, ſicut dos ad onera matrimonii ferenda ſit conſtituta, habito reſpectu ad dominium naturale & civile, quorum unum in manibus Reipubl. alterum in manibus Principum ſit, conf. BESOLD. *in Theſauro Pract. voce* Cammer-Guther & THOLOSANUS *de Republ. Lib. 3. cap. 8. n. 4.* aliter OCKEL *de Præſcript. immemoriali cap. 3. th. 6.* qui putat, ex Jure feudali Domanium eſſe translatum, quoniam in eo patrimonium Domini vocetur Dominicum.

§. II.

Domanium in genere gentibus quoque fuit notum.

Licet autem vox barbara, tamen Domaniorum eſſentialia inter gentes ubique fere fuere nota, Principatus enim cum inſtaurati, neceſſarium fuit, illi, qui ſummum in Republ. gereret gubernaculum, de commoditate, dignitate, & alimentis proſpicere. Sic in Sacris undique extant monumenta literis de hiſce, vid. *1. Sam. 27. v. 6.* & Juris noſtri Civilis partes idem teſtantur, diverſæ enim ibi reputatæ ſunt, res Imperatoris patrimoniales, fiſcales, publicæ, & privatæ, *conſ. L. 39. §. 8. ff. de Legat. 1. L. 3. §. penult. ff. de Jure Fiſci L. 6. §. ult. ff. eod. L. 2. & 3. C. de quadrienn. præſcript.* Jus Canonicum paſſim quoque de hiſce injicit mentionem in *Cap. 33. X. de Jurejurand. cap. 6. & 10. X. de Rebus Eccleſ. alien. vel non.* Perſis horum uſum ſolennem eſſe, nec non Turcis, Hungariæ populis, Britannis atque Scotis, oſtendit HENNING. GROSSEN *in Diſſert. de Sacro Domaniorum Jure Aſſert. 1. §. 4. conſ.* BRÜCKNER. *de Dom. Regn. Germ. cap. 2. n. 3.*

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Nec res Domanialis in Germania fuit ignota.

Mirandum hinc utique, cur portenti inſtar LYNCKER. *Vol. II. Reſp. 70. no. 5.* Domaniale Jus in Germania habuerit, verbis: Weil nicht alleine das Jus Domanii im Römiſchen Reich ein affectirtes/ in vorigen Zeiten nie erhörtes/ und mit denen Bonis entweder menſæ, denen Tafel-Güthern/ oder Cameræ, welche beyde alleine hergebracht/ und doch eine ſolche Beſchaffenheit/ wie die neuerlich herfür gebrachte Domania per omnia nicht haben/ confundirtes und noch nicht angenommenes Recht iſt; Licet enim veteribus Germanis Regna diverſo conſiderata reſpectu, & apud ipſos Regentes plus ſuadendi authoritate, quam jubendi poteſtate electi, uti loquitur TACITUS *de Moribus Germ.* & quorum officium ac poteſtas bello ceſſante quoque deſiit, vid. CONRING. *de Duc. & Comit. Imp. th. 5. in f.* tamen & ſequentibus temporibus Germani Gallorum invaſionibus vexati, Reges, Duces atque Comites crearunt, hisque reditus ex muneribus ſubditorum, uſu ſylvarum, agrorum, aquarum &c. conſtituerunt. vid. LEHMANN *in Chron. Spir. Lib. 2. cap. 17.* quomodo autem in his ulterius in Germania progreſſum docet BRÜCKNER *in Tract. de Dom. Regni Germ. cap. 3.* Hinc & poſt receptum Jus Romanum non potuerunt hæc bona totaliter fuiſſe incognita, conf. latius hac de ſententia Dn. GRIBNER *in Opuſc. Jur. publ. T. I. Sect. V. cap. 3. §. 4. not. e.* & ANDREAS OCKEL *in Tract. de Præſcript. Immemoriali cap. 3. §. 8.* verba hujus ſunt notabilia: *Olim Reges Germanorum, præter patrimonium hæreditarium & bona habuiſſe Domanialia, Fiſcalia, & publica, nemo qui Hiſtoriam Germanam vel primis labris*

Digitized by Google

deguſtavit inficiabitur: Et ex donationibus Ottonum è Saxonica gente Imperatorum patet, quod ampliſſimas terras Jure proprio poſſèderunt, de quibus liberrimam diſponendi facultatem exercuerunt & ſeqq.

§. IV.

Bonorum Domanialium deſcriptio.

Deſcribuntur Bona Domanialia ſecundum GROTIUM *de Jure B. & P. Lib. 2. cap. 6. n. 11.* quod ſint Patrimonium populi, cujus fructus deſtinati ſint ad ſuſtentanda Reipublicæ aut Principis dignitatis onera: ſed propius & accuratius quando ad rem accedimus, videtur Fiſcalia Principis bona cum Domanialibus confundere. Hinc reputamus, bona Domanialia ſolum à Republica deſtinata eſſe ad ſuſtentationem & dignitatem Principis, non ad onera Reipublicæ ſimul ferenda, vocanturque nobis Cammer- oder Tafel-Güther, vid. STRYCK. *in notis ad J. de Uſucap. §. 4. conf.* LEHMANN. *in Chron. Spir. Lib. II. cap. 44. pag. 187. lit. e.* Dn. de COCCEJ. *in Jurisprud. Publ. cap. 9. §. 18.* Dn. GRIBNER. *in Opuſc. Jur. Publ. Tom. I. Sect. V. cap. 3. §. 4. not. c.* Sunt enim hæc in patrimonio Reipublicæ, & fructus ſolum ad Principem ſpectant, hinc proprietas manet penes populum, vid. CHRISTIN. *Deciſ. Belgic. Vol. V. Dec. 10. n. 8. ſeqq.*

§. V.

Differunt à Domanialibus bona patrimonialia Principis.

Hac deſcriptione probe attenta, facile cuilibet perſpectum erit, à bonis Domanialibus eſſe ſeparanda bona Principis patrimonialia, quæ ex propria ſubſtantia poſſidet, eaque non ut Princeps qua talis, ſed ut privatus; vocanturque Erb-Güther. Appellantur hæc *in L. 2. C. de Quadr. Præſcript.* Res Dominicæ, vel Divinæ domus,

Digitized by Google

mus, conf. PEREZ *ad tit. C. de Fundo patrim. & ſalt. n. 1. & 2.* ſic exemplum de hiſce ſuppeditat GROTIVS *de J. B. & P. Lib. 1. cap. 3. §. 15.* de Rege Pharaone, quod fundos ex annonæ caritate ſibi comparaverit, hosque privato Jure ut patrimoniales poſſederit, & MARQVARDVS FREHERVS *in Comment. ad Bullam Sigismundi Imperatoris* de hiſce ſcribit: *Habent Principes, Electores, præter Principatus ſuos, ut ita dicam Principales, quorum virtute Electoratum gerunt, quique electoratui individua copula & indiſſolubili ſunt annexa, etiam alias ditiones hæreditarias magis quam Electorales, & illas ſive patrimoniales, ſive dotalitias, ſive emptitias, & quolibet modo acquiſitas.* In hiſce liberam Principis eſſe diſpoſitionem, nemo dubitabit, ita ut etiam ea ad quoscunque hæredes poſſit transmittere, & reditus ex hiſce vocari conſueverunt *Chatoul-*Gelder, de quibus latius poteſt conferri HOFFMANN. *in Diſſert. de Patrim. Princip. privato, quod* die *Chatoull vocant, ejusque privilegiis & Juribus, Jenæ Anno 1727. habita.*

§. VI.

Hinc & differentiam aliquam agnoſcunt Ddres, inter Regalia proprie ſic dicta, quæ Principi ſolum ad Eminentiam ſunt conceſſa, & Domania; de quibus Regalibus quomodo differant, & quomodo dividantur, imo quænam iſtis hodie ſoleant accenſeri vid. pluribus EINSIEDEL *Tr. de Regalibus cap. 2. ſeqq.* REGNER. SIXTINVS *de Regalibus cap. 2. ſeqq.* ut plurimum hoc videtur hodie dependere ex arbitrio ſummi Imperantis, exemplum proſtat in Boruſſia, ubi Jus ſuccinum (Bernſtein) colligendi Regalibus annumeratur, & nemini niſi Ele-

Domania differunt à Regalibus proprie ſic dictis.

Digitized by Google

Electori competit, Preuß. Land-Recht, *Lib. I. Tit. 1. Art. 3. §. 3.* uti & Jus Carbones (Stein-Kohlen) fodiendi: ita ut opinio, omnia ſubterranea ad Principem ſpectare, & ſubditos ſolum ſuperficiei dominos eſſe, nondum ubique locorum recepta ſit. Sic quibusdam in locis Jus lutum, lapides, arenam fodiendi, Leimen- Sand-Gruben und Stein-Brüche, ad regalia pertinent, nec ſubditis, licet in propriis ipſorum agris tales reperiantur, Jus circa ea exercere licet, ſed vel domino Territorii locum pro certa quantitate vendere, vel etiam, quando poſſeſſione non privantur, dato certo canone redimere tenentur.

§. VII.

Fiſcalia bona quoque à Domanialibus differunt.

Sic & ſeparantur in Jure à bonis Domanialibus bona Fiſcalia, quæ Principi ad tuendam dignitatem, aliaque Reipublicæ onera ferenda conceſſa ſunt, vid. MANZ. *in Comment. ad Inſt. §. 4. de Uſucap. n. 1. & 2.* licet adeo magna differentia hæcce non intercedat, ſed ſolum tanquam latius & anguſtius differant, ita ut omnia bona Domanialia poſſint dici Fiſcalia, non vero omnia Bona Fiſcalia Domanialia, quemadmodum latius deduxit, BRÜCKNER *de Dom. Regni Germ. Cap. 1.* qui ibidem plurimas quoque differentias à bonis Domanialibus, variis ſub ſpeciebus adduxit, ubi, qui fuſius tradita cupiet, eam exhaurire poteſt doctrinam, quanquam non accurate eum inter Bona Fiſcalia, & Domanialia differentiam obſervaſſe putet OCKEL *in Tr. de Immemor. Præſcript. cap. 3. §. 6.* verb. *Quamvis enim* BRÜCKNERVS de Domaniis Germ. I. §. 44. *putet, nimis ſtricte ſumi Domania, quando pro rebus ad uſum individualem Principis ſive*

ad

Digitized by Google

ad annonam, Victum, cultumque Regiæ Majeſtatis deſtinatis, à Springsfeldo, Bornitio, & aliis allegatis exponatur, ac §. 48. ulterius dicat, Bona menſalia, Küchen-Güther, Tafel-Güther, *eſſe ſpeciem Domaniorum, genus eſſe* Cammer-Güther, *bona Fiſcalia, bona Ærarii, ipſe tamen ſibi non conſtat, cùm in ſuperioribus nempe §. 29. conqueſtus fuerit, quod bona Fiſcalia & Domanialia confundantur, neque enim Cameralem agere debebat, ſed JCtum, qui docere debeat, quid de Jure obtineat, non quid de facto. Melius hanc differentiam agnovit.* STRYCK. Diſſert. de allod. Princ. Imp. cap. 2. §. 31. & à SECKENDORFF in Teutſchen Fürſten-Staat P. 3. cap. 1. §. 1. & cap. 2.

§. VIII.

Principi autem ſeu illi, qui τὸ κῦρος in Republica gerit, neceſſarium fuit proſpicere, unde non ſolum commoditatem, ſed etiam alimenta Majeſtati ſuæ congrua acciperet, hinc certi reditus, vel etiam certa bona huic uſui deſtinata ſunt; Et licet quandoque hi reditus ad abundantiam usque multis in Regionibus proceſſerint, ac Domanialia Bona mirum in modum excreverint, tamen ſuſtentationi Principis nonnunquam aliquid indulgendum, quoniam hæc non intuitu privatorum dimetiri poteſt, ſed ad voluptatem etiam extenditur, qualia ſumptuum genera ubique inter Magnates frequentia; deficientibus hinc Domanialibus, ſubditi tributis & collectis innumeris vexarentur, Principibusque occaſio major ſuppeditaretur, illos tandem bonis exuere, atque exitio ingenti exponere. Confirmat ſententiam noſtram à SECKENDORFF im Teutſchen Fürſten-Staat *P. 3. cap. 1. v. 4.* verbis: Einmahl iſt es an dem/ Domaniorum neceſſitas.

Digitized by Google

daß gleichwohl der Landes-Herr / vor andern ſeinen Unterthanen / zu ſeiner und ſeiner Angehörigen / Gemahlin und Kinder täglichen Unterhaltung in geziemender Speiſung / Kleidung und Aufwartung / ſein ehrliches Auskommen haben muß / allermaßen ſolches Göttlicher Ordnung und allem Völcker-Recht nicht ungemäß iſt; & ſeqq.

§. IX.

Diviſio Domaniorum.

Ob multiplicem Rerumpublicarum formam, certum Domaniorum numerum definiri non poſſe exiſtimat PUFFENDORFF *de J. N. & G. Lib. 7. cap. 5.* quare & ex forma Reipublicæ cujusvis venient dimetienda. Ut plurimum ſolent dividi in profectitia & adventitia, profectitia cum prima fundatione Rerumpublicarum introduci ſolent; adventitia in bonis, quæ poſtea ſuperveniunt, conſtitui, hæc etiam quidam vocare ſolent nova, illa vero antiqua, vid. VOLSCHOV. *de Domanio §. 4.* Dividuntur etiam in ea, quæ in rebus feudalibus & allodialibus, nec non in Regalibus, aliisque rebus & Juribus conſiſtunt; præterea ſunt quædam Eccleſiaſtica, quædam vero ſecularia; imo in Imperio Romano-Germanico quædam Imperii, quædam vero Imperatoris, vid. BRÜCKN. *de Dom. Regn. Germ. cap. 2. th. 5.*

§. X.

Conſtitutionis Domaniorum diviſio & modus.

Extra dubitationis aleam erit, Domania pro modo ac forma cujuslibet Reipublicæ conſtitui quoque ſolere, modo ab illis fiat, qui poteſtatem in Republica habent, ſic de originario conſtitutionis modo varia Ddres tradere ſolent, de quo ob temporis rationem abſtineo; modum autem conſtituendi nova ſeu adventitia diſpeſcunt in expreſſum & tacitum, expreſſum in

eo

Digitized by Google

eo collocant, quando mediante incorporatione, cum ſolennitate præſcripta, vel etiam juſſu ejus, qui ſummam in Republica habet poteſtatem, in ejusmodi Domanialium bonorum rationibus, bona hac qualitate nondum affecta, conſignantur. Uti in Jure Juſtinianeo exempli loco ſuppeditant effata VALENTINIANI, VALENT. & GRATIANI *in L. 3. C. de Bonis vacant. Si quando aut alicujus publicatione, aut ratione Juris, aliquid noſtræ addendum eſt rei, rite atque ſolenniter per Comitem rerum privatarum, dein per rationales, in ſingulis quibusdam provinciis commorantes Incorporatio impleatur, & diligens ſtylus ſigillatim omnia adſcribat. Tituli vero, quorum adjectione prædia noſtris ſunt conſecrata ſubſtantiis, non niſi publica teſtificatione proponantur.* Quibuscum poſſunt conjungi ea, quæ in *L. 2. C. de Aquæductu & L. ult. ff. de Requir. reis* habentur. Sic in Gallia conſtitui Domania expreſſe, per Diploma Regium cum ſceptris ſuper fundo uniendo tradit RENAT. CHOPPIN. *de Doman. Franciæ Lib. I. tit. 5.* Exempla incorporationis ejusmodi expreſſæ in Germania ſuppeditant Capitulationes Imperatoriæ.

§. XI.

Majori adhuc difficultatis involucro videtur abſcondita eſſe tacita Domanicorum conſtitutio, quando dicunt, hanc citra ullas ſolennitates ex ſignis quibusdam colligi; Ubi mirum in modum videntur Ddres Gallicis moribus interprete CHOPPINO *de Dom. Franc. Lib. I. Tit. 2. no. 9. ſeqq.* inſtitiſſe, qui omnes fere, neglectis ſanæ rationis principiis, ad hoc extremum proceſſerunt: Tacito quoque conſenſu conſtitui Domania

Tacita conſtitutio Domaniorum nullo nititur fundamento.

Digitized by Google

poſſe. Equidem non negandum, tacitum Principis conſenſum utique pro Lege eſſe cuſtodiendum, & tacitum conſenſum in Jure idem atque expreſſum operari, ac verum eſſe conſenſum, uti ſolide deduxit *Illuſtr.* Dn. THOMASIVS *in Jurisprud. Div. Lib.* 2. *Cap.* 7. *no.* 24. *ſeqq.* Sed an hoc modo conſenſus tacitus extendi poſſit ad alienationem bonorum Principis, hæreo: nemo enim ſuum jactare præſumitur, cur itaque Principem deterioris conditionis eſſe, & tacito conſenſu bona ſua amittere aſſerendum? potius regulæ inſiſtendum puto, quamlibet rem a natura præſumi liberam, & ſic etiam ea, cui qualitas Domanialis, quæ ſervitutis inſtar eſt, ex tacito Principis conſenſu, falſo eſſet tributa, hinc cum omnes alienationes in Jure facti eſſe dicantur, & probandæ, ita multo magis rei liberæ converſio in Domanialem, quæ alienationis ſpeciem quam maxime ſapit. Nec facile caſum tacitæ incorporationis ſibi quisquam fingere poterit, cum enim Ddres putant, in eo conſiſtere, quando Princeps patiatur rationibus Domanialium ordinariis ejusmodi bona inſeri, & taceat, videntur fere fundamento deſtitui; non enim ſeparatos, bonis Patrimonialibus & Domanialibus, utplurimum hi adhibere ſolent Miniſtros, hinc & evenit, quod Domanialia & Patrimonialia ex Miniſtrorum incuria, qui rationarii, non vero ſubtilitatum Juris ſtudioſi, iisdem inſerantur rationibus, Principes autem, qui nonnunquam hisce ſe non obruere ſolent negotiis, ſi quandoque res ad ipſorum pervenerit inſpectionem, ſolum ſuper rite formatis acceptis & expenſis, Miniſtris quietantias concedunt, non vero ut animum ad ſeparationem bono-

rum

rum circa rationes adhibeant, ita ut ex hoc alienatio nulla extorquenda. Senſit hoc quodammodo Vir de Republica literaria ſuo tempore egregie meritus D. BRÜCKNER *in Tr. de Dom. Regni Germ. Cap. 3. n. 38.* verb. *Tacitam incorporationem in theſi puta, certo tempore non poſſe determinari, ſed in Judicis arbitrio eſſe relinquendam. Diverſæ ſunt opiniones, è quibus ſignis tacita incorporatio facta cenſeri debeat,* vid. *Schrad. Vol. II. Conſ. 39. n. 201. ſ.* illaque Sententia. *Diſtinguendum putaverim inter Domania, quæ Jure hæreditario, ut à ſtatibus Secularibus, ſolent acquiri, & inter ea, quæ Jure electitio, prouti habent Epiſcopi, Prælati &c. In illis tacita incorporatio non facile præſumitur; cum enim odioſum ſit, ſe ipſum ſuosque hæredes facultate ſibi competente libera privare (res namque Domaniales & menſæ incorporatæ non facile poſſunt alienari, ut infra dicetur) non exiſtimandum, Principes ſeculares bona è reditibus Domanialibus comparata vel aliunde acquiſita ejusdem naturæ, qua ſunt Domanialia & Regalia Fiſci, quæ ab Imperatore ſub onere feudali accipiunt, conſtituere voluiſſe; Ergo valde prægnantes & claræ præſumptiones ad mentem incorporandi colligendam hic requiruntur. In his facilius inducitur præſumptio Incorporationis, dum enim v. g. à Prælato res infeudari ſolitæ, vacantes factæ reinfeudari quidem poſſint, ſi vero retineantur, non transmittantur ad hæredes Prælati, facilius, ac ſecularis, præſumitur Domaniis incorporare retenta voluiſſe. Illud vero indubitatum eſt, bona per Prælatum ad longum temporis ſpatium poſſeſſa, in dubio præſumi eſſe de menſa Ecclesiae, & ipſi incorporata niſi contrarium probetur,* & ſub No. 42. pergit: *quod ſi bona infeudari ſolita vacantia non ſtatim reinfeudaverit Praelatus, ſed ad tempus, commodam*

 for-

fortaſſe expectans reinfeudandi occaſionem, penes ſe retinuerit, hoc ipſo non continuo menſae incorporata haec bona cenſentur. Sed & hac diſtinctione inter bona Secularis & Eccleſiaſtici Principis, ſuperſedere potuiſſet *Vir. Celeberr.* cum admodum difficile ſit dijudicandum, quonam tempore animum commodam occaſionem reinfeudandi expectans Prælatus dimittat; ſic tutius in genere aſſerendum: qualitatem Domanialem prædii cujuscunque nunquam præſumi, ſed eſſe probandam, neque eam ex tacita Principis voluntate dimetiendam. Diſſentiunt HENNING à GROSSEN *in Diſſert. de Sacro Doman. Jure Aſſert. 4. th. 7.* VOLSCHOV. *de Domanio Th. 4.* quodammodo etiam RÖSNER. *de Bonis Doman. Cap. V. n. 1.* & BRÜCKNER. *de Doman. regn. Germ. cap. 3. no. 37.*

§. XII.

Cura rerum Domanialium variis demandatur perſonis, hocque dependet ex arbitrio Principis.

Curam, Inſpectionem & adminiſtrationem rerum Domanialium, habere ſolent illi, quibus ea à ſummo Imperante demandatur, licet hoc ex arbitrio ipſius dependeat, an velit ſeparatum Collegium deſuper inſtituere, an vero illis, qui rerum Fiſcalium curam in genere gerunt, hoc demandare, POTENTISS. REGI POLONIÆ & ELECT. SAX. placuit tales perſonas vocare: Cammer- und Land-Cammer-Räthe, BORUSSIÆ vero Kriegs- und Domainen-Räthe; Sic in Germanico deprehenditur Imperio, per varias easque diverſas perſonas, reditus Principum nonnunquam tractari, quandoque etiam per easdem; quod declarat à SECKENDORFF. in teutſchen Fürſten-Staat *P. 3. Cap. 4. n. 1.* verb. Man beſetzet ſolche Collegia nach unterſchiedlichen

Ge-

Gewohnheiten der Lande, mit Lands-Hoff-Meiſtern, Cammer-Præſidenten/ Cammer-Räthen/ Schatz-Räthen/ Cammer-Meiſtern/ man ordnet ihnen zu ihre beſondere Cammer-Cantzeley-Cammer-und Rentherey-Secretarien, Cammer- und Rentherey-Schreiber und dergleichen: Der Orth/ da ſich die Cammer-Räthe verſammlen/ wird die Cammer-Stube/ oder Cammer-Rath-Stube, das Gemach aber für die Cammer-und Rentherey-Verwandten die Cammer/ Cantzeley oder Rentherey genennet; Jedoch pflegen auch die geheimen Secretarii, und dergleichen Bedienten/ in einer geheimen Cantzeley etlicher Orthen Cammer-Secretarii zu heiſſen; Licet itaque putet SCHILTERVS *Exercit. ad ff. 28. §. 28.* in Germania noſtra ſeparata eſſe ſolere corpora Cammer & Steuer, ad modum adminiſtrationum apud Romanos, quibus comes rerum privatarum & ſacrarum largitionum fuerit præfectus, tamen hoc non ubique procedere, teſtatur quotidiana experientia, & ex arbitrio Principis circa Collegia condenda, hisque prout conſultum reputat negotia committere, facile dijudicari poterit. Perſonas, quæ Gallicis adhibeantur negotiis Cameralibus, late enumerat CHOPPIN. *de Dom. Franc. Lib. III. Tit. 24.*

§. XIII.

Conſideratis nunc hiſce videndum, quænam res propriæ Domaniis poſſint incorporari, & in quibus ab initio conſtitui poſſint; Vix autem hoc videtur aliquam ſapere difficultatem, ſive ab initio, vel uti quidam loqui amant profectitie, ſive adventitie fiat, modo non conſtituantur in rebus, quæ commercio generis humani ſunt exemptæ, uti in rebus Sacris, Sanctis Conſiderantur res, in quibus Domania conſtitui poſſunt.

&

& Religioſis, *vid. §. 7. & 8. J. de* R. D. vel etiam alienis, utpote quorum alienatio, ita etiam Domanialis conſtitutio eſt prohibita, conf. *L. 7. & tot. tit. C. de rebus alien. non alienand.* Sic regulariter in omnibus bonis conſtituuntur Domania, etiam in feudalibus, niſi quædam probentur exempta. Sed videtur, exemtiones etiam ſupra allatas nullius eſſe momenti, cum notum ſit, nec in totum res commercio humano in Jure exemptas eſſe inalienabiles; ſic res Eccleſiæ libere alienari poſſe, ſi conditio Eccleſiæ inde fiat melior, patet *ex L. 17. §. 1. C. de SS. Eccleſ.* & certis in caſibus omnes res Sacras quoque alienari poſſe, videl. ad redemptionem captivorum, alimoniam pauperum, æris alieni, quo Eccleſia premitur exſolvendi &c. effatum eſt PONTIFICIS *in Can. 70. Cauſ. 12. qu. 2.* Hinc etiam vi abſolutæ poteſtatis, & Dominii eminentis, tempore neceſſitatis, fortuna & ſubditorum Principi patent bona, pro qualitate temporis & circumſtantiarum iis utendi, etiam cum detrimento ſubditorum, & ſic etiam in rebus alienis Domania conſtitui poſſent. Sed facilius huic occurritur dubio; de iis enim caſibus, qui ob ſpeciales rationes reperiuntur excepti, hic non eſt ſermo, ſed ſolum de iis qui ordinarie ſolent accidere. Ita & exemplum Sacra Scriptura ſuppeditat de rebus alienis, quod Divino Numini fuerit inviſum, illas Domanialibus aſſociari, (de Jeſabele, quæ Nabothi vineam vi eripuerat, quam blandis verbis offerre detractabat) & eam ob cauſam familiam Ahabi è medio ſuſtulerit.

§. XIV.

Diverſæ Ddrum ſen-

In diverſam abeunt Ddres ſententiam, quamnam po-

poteſtatem Princeps circa Domania habeat? Quidam uſumfructum ſolum ad illum pertinere, proprietatem apud Rempubl. manere dicunt, uti hoc viſum HUG. GROT. *de I.B. & P. Lib. 2. cap. 6.* HOPP. *in Comment. ad Inſt. §. 4. de Uſucap.* conf. MENCKE *in Theoria & Praxi ff. ad Tit. quæ res pign. vel hypoth. dat. obl. non poſſ.* Quidam acriter hosce notant, Dominium Principi denegantes, & dicunt, omnia, quæ ſunt Reipublicæ, eſſe quoque Principis: ſed non omnia, quæ ſunt Principis, æquali etiam libertate quoad alienationem ipſi eſſe ſubjecta; hinc etiam nihil officere, quod dicantur hæ res eſſe in patrimonio Reipublicæ, quapropter provocant ad exemplum mariti, qui diverſis in locis appelletur Dominus dotis, & tamen etiam dicatur dominium apud uxorem remanere, ſic etiam alienatio bonorum dotalium ipſi inhibeatur, per *L. un. §. 15. C. de Rei Ux. act. Tot. tit. ff. & C. de Fundo dot:* diverſum itaque dominium, uti hoc loco in Uxoris ex mariti bonis exhibeatur, ita etiam quoad res Principis ſeſe habeat, qui hocce Dominio gaudeat, ad onera Reipublicæ, quæ inſtar ſponſæ ipſius reputetur, ferenda, ſimili modo uti maritus in dote, ad onera matrimonii ferenda. Uti huic ſententiæ ſubſcribit ZIEGLER *in not. ad Grot. Lib. 2. cap. 6. §. 3.* LYNCKER *Reſp. Vol. I. Reſp. 2. n. 21. ſeqq.* qui ſententias plurium adhuc recenſet, verb. Iſt auch gar nicht einzuräumen/ *quod Principes Imperii, quoad terras ſuas habeant Dominia ad inſtar tutorum, ad bona ſolum tuenda & conſervanda, ut in* L. 7. §. 3. Pro empt. *juncta* L. 12. ff. de Curat. furioſ. *ut & in* L. 46. §. f. ff. de Adminiſtrat. rer. ad civit. pertin. *habetur.* Noch auch daß ſie denen *uſufructariis*, welche gantz *in re aliena* verſiren/ auch

tentiæ ratione poteſtas Principis in Domanialibus ex Jure Romano deſumtæ.

Digitized by Google

auch nicht einſt denen *Fiduciariis* (wie zwar ſolcherley mißliche Dinge/ bey denen *Doctoribus Jur. Nat. & Gent.* und zwar auch ſo gar von *ſouverainen* Regenten, gefunden werden) zuvergleichen: *quoniam ſane Status Imperii ſunt Domini terrarum ſuarum plusquam utiles.* Das *praejudicium* aber dererjenigen, ſo dabey *intereſſiret*/ ſeynd aus andern Gründen, ſo bewehrter und ſicherer/ genommen und abgewendet werden muß. *Poſſent ſane alienare terras ſuas, (quod nec tutor poteſt, neque Uſufructuarius) niſi dominium reſtrictum, & ad ſtatus conditionem tuendam haberent.*

§. XV.

Horum argumentorum ſimilitudo cum poteſtate circa Domania expenditur.

Non quoque negandum, plurimum ſimilitudinis iis argumentis, in quibus Ddres eam quærunt, accedere; ſic Domania cum uſufructu hæcce utique habent communia, quod Princeps nempe Dominus abſolutus fiat fructuum, uti uſufructuarius per perceptionem, vid. SCHILT. *Exercit. ad ff. 17. Th. 32.* quod etiam de Domaniis hincinde ſolvere debeat onera, id quod uſufructuario etiam incumbit, *L. 7. §. 2. ff. de Uſufruct. & quemadm.* & hinc inde fructus debeat ita percipere, ut tamen maneat ſalva ſubſtantia, ac re uti, quemadmodum bonum patrem familias decet, uti hæc omnia de Uſufructuario cauta leguntur, in *L. 8. L. 13. §. 7. L. 61. L. 68. 69. ff. de Uſufruct. ex quemadm. L. 7. §. 13. ff. ſolut. matrim. quemadm.* conf. HILLIGER IN DONELL. *Lib. 10. cap. 10.* & plura. Inter tutores & Curatores, licet remota, tamen aliqua etiam intercedit ſimilitudo, quemadmodum enim hi tueri pupillum ab injuriis, ita etiam Princeps Rempubl. ab invaſionibus aliisque defendere tenetur. Plurimæ autem occurrunt ratione Dominii dotalis, quæ

Prin-

Principis poteſtati circa domania quam proxime accedunt, quoniam dominium dotale verum dicitur dominium, ſed libertas ſolum quodammodo eſt reſtricta, cum itaque & uxor dicatur poſſidere dotem, & manere ejus domina *in L.75.ff. de Jure dot. L.15. §. 3. qui ſatisd. cog.* maritus autem vindicare *in L.9.C. de R.V.* quod dominii effectus eſſe in Jure fertur, ſic eodem modo dominium quieſcens, quod uxori competit, ad Rempublicam, maritale ad Principem extendunt, vi hujus dominii maritus percipit fructus *L. 7.pr.ff. ex L.20.C. de Jure dot.* ſimili modo quoque Princeps. Et certe ſi aliqua ſententia eſſet amplectenda, hæc videretur maximam ſpeciem Juris præ ſe ferre.

§. XVI.

Nollem autem objicere hiſce Ddribus, ſpecioſa ipſorum argumenta ſimilitudines ſapientia claudicare, cum rem penitius inſpicienti per ſe pateat, quales in Uſufructu, in Dote, in Tutoribus & Curatoribus deprehendantur differentiæ, & quale committant vitium, qui rem peregrini idiomatis ad ſtatum Romanorum diverſum plane detorquere, ex eoque deciſionem petere velint. Fluctuare in hiſce, & ulteriorem inquiſitionem inſtituere, res mei laboris jam jam non eſt, alias etiam ſimilitudinibus retro occurrere vellem, (uti etiam in continenti ſe aliqua offert àb utili deſumpta Dominio, quod omnem continet utilitatem, & cum vindicatione ac diſpoſitione quadam conjunctum eſt, vid. STRYCK. *in Exam. Jur. Feudal. Cap. 2. qu. 14.* quod apprime Principi ratione perceptionis fructuum ex Domaniis eſſet applicabile, modo recognitio dominii di-

Licet autem quædam ſimilitudo iis inſit, tamen plenariam applicationem non patiuntur.

recti, & in quibuſdam præſtatio canonis abeſſet,) ſufficit, quod Principi competat Jus aliquod circa bona Domanialia, iis utendi inſtar boni Patrisfamilias, & quod in hiſce non habeat poteſtatem abſolutam, ſed reſtrictam quandam, quæ ex ſeqq. patebit.

§. XVII.

Ex natura conſtitutionis Domaniorum, deducitur reſtricta Principis poteſtas circa ea.

Ex hac reſtricta poteſtate obligatus eſt Princeps bona Domanialia conſervare, nec illorum alienationem ſuſcipere poteſt, vid. VASQ. CONTROV. *Ill. Lib. I. Cap. 5. Dn.* GRIBNER *Opuſcul. Jur. publ. Tom. I. Sect. V. §. 5. nod. c.* KLOCK *de Ærar. Lib. I. cap. 7. no. 32.* ibique PELLERVS *in no.* PRVNNEMANN *Conſ. 1. n. 75.* (alienationem autem vocant omnem actum, per quem dominium transfertur. *L. 1. C. de Fundo dot.*) Quod natura & conſtitutio Domaniorum ſatis ſuperque docet; quæ enim ſuſtentationi & dignitati tuendæ inſervire debent, illa, ſi manibus tertii applicentur, alienatione videl. interveniente, uſum quem præbere debebant amittunt, priſtinamque formam & qualitatem exuunt. Quid quod haud incongruum aſſerere, ipſius Principis alienare ſtudentis dignitati hoc adverſari, fama enim hujus, cum ad alios pervenerit Principes labefactatur, his exiſtimantibus, & facile colligentibus, ipſum ad incitas eſſe redactum, omnibusque viribus exutum; ſic & pecunia facile eſt conſumptibilis, aſt fundi, ſervitutes, aliaque hujus generis Domanialia Reipublicæ facilius ad conſervandum apta, ut ita non abſone putet PVFENDORFF *de J. N. & G. Lib. 8. cap. 5. §. 11.* per alienationem præjudicium creari futuro Succeſſori, utpote qui etiam pro dignitate ſuſtinendus ſit.

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Cum itaque hoc ex natura negotii, & Lege præpoſitionis, ut abuſive ita dicam, deducatur, ſequitur etiam, Principem huic adſtrictum eſſe, etiamſi Legem conventionalem, qua ſe, antequam ad Principatum acceſſit, obſtrinxit, non habeat, qui enim Principatum vult gerere, etiam Legibus naturalibus & Gentium ſe accommodet neceſſe eſt, utut non diffitendum, plurimis in Regionibus Principes per Capitulationes ſolere quoque adſtringi, de non alienandis, ſed conſervandis bonis Domanialibus, uti de Rege Hungariæ fertur, quod antequam Coronationis actus ſuſcipiatur, eum de coronæ bonis non alienandis debere præſtare juramentum, cui ſi contraveniat, actus licet juramento confirmatus ſit, eſt ipſo Jure nullus; de Regno Poloniæ, Angliæ, Hiſpaniæ, ille, qui vetuſtiorum temporum pervolabit hiſtoriam, ſimilia offendet; In regno Neapolitano eodem modo hoc perfici ſolere teſtatur MATTH. *de Afflictis in Conſt. Neap. qu. 4.* De Electoratu Brandenburgico extant literæ reverſales, quibus *Potentiſſ. Elector.* Ordinibus promiſit, quod nihil de Domanialibus vellet diſtrahere. vid. BRUNNEMANN. *Conſil. I. n. 107.* Ita etiam ut HENNING. GODEN. *Conſ. 32. n. 7.* afferat, omnes fere Principes Germaniæ, in primordio regiminis ſui ante præſtationem Homagii jurare, ſe honorem Juraque Principatus illibata ſervaturos; De Invictiſſimo Imperatore Romano, quomodo is aſtringatur, extant Capitulationes, quæ legi merentur, in quibus Imperator adſtringitur, ex diſpoſitione Aureæ Bullæ, juramentum præſtare, quod de Sacro Romano Imperio

Plurimis quidem in Regionibus reperiuntur Leges, Principem ad conſervationem Dom. adſtringentes, ſed etiam extra eas obligatus eſt.

 ejus-

Digitized by Google

ejusque pertinentiis, nihil abſque ſcientia, voluntate & permiſſu Electorum, diſtrahere velit. vid. ARUMÆUS *Concluſ. de Jure Publ. Diſcurſ. 43. cap. 7.*

§. XIX.

Hinc neque partem Domaniorum alienare poteſt Princeps.

Ex hocce ſua ſponte ſequitur, quoniam Princeps in rebus Domanialibus reſtrictum aliquod habet dominium, quod etiam nec partem illarum poſſit alienare, quoniam & ex parte alienata Reſpublica poteſt ſentire detrimentum, & quod in toto in genere prohibitum, etiam ad partem recte applicatur; ita enim putat GROTIUS *de I. B. & P. Lib. II. cap. 6. §. 11. Nec admitto exceptionem, ſi res modicum valeat, quia quod meum non eſt, ejus nec exiguam partem mihi alienare Ius eſt.* Sic etiam hoc pro ratione ſubminiſtrant, quod ſubditorum ſemper mens ſit, ut Reſpublica Tutorem, Defenſorem & Parentem habeat, non qui alienet, FRANC. HOTOMANNUS *Illuſtr. Quæſt. I.* Hinc Princeps quoque dicatur, quod bene debeat præeſſe & Germanicum Fürſt, quod à Fürſteher, nomen habeat, quaſi ſit ein Fürſteher, ein Mehrer des Reichs, vid. STEPHAN. *de Iurisd. Lib. 2. P. 1. cap. I. memb. 1. n. 17.* quæ ratio, uti alienationi univerſi Domanii, ita etiam parti maxime eſt conveniens.

§. XX.

Alienatio bonorum Domanialium non valet, licet Juramento corroborata.

Sed ſi is, in quem alienatio Domanialium à Principe eſt facta, juramento ſibi proſpexerit, & Principem hocce Vinculo adſtrinxerit, quæritur, annon aliquid dignitati ſuæ inconveniens videatur admittere, quando proprio facto non ſtet, imprimis ſi ipſe ſe ab ejusmodi conventione liberare ſtudeat, quoniam alias Principes pactis

ſerio

Digitized by Google

ſerio initis ſtare tenentur, etiam extra caſum, ubi Juramentum acceſſit? Sed Reſp. tale Juramentum eſſet contra fidem datam & bonos mores, ea autem quæ bonis moribus contraria ſunt, ea nec ſubditos facere velle, multominus poſſe Principem, credendum eſt. Sic etiam juramentum contra bonos mores non eſſe obligatorium, pronunciavit PONTIFEX *in Cap. 58. de R. I. in 6to.* tale autem Juramentum eſſe contra bonos mores, quod Rempubl. evertit, illam ad incitas redigit, diminuitque opes Coronæ, ita ut Princeps bonis Domanialibus exutus, poſtea neceſſum habeat ſubditorum fundos tributis atque collectis onerare, hosque tandem usque ad extremam pernitiem labefactare, nemo unquam in dubium vocabit. Hinc & in ſpecie HONORIVS III. tale Juramentum improbat, *in Cap. 33. X. de Iurejur.* verb. *Intellecto jamdudum, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Hungariæ Rex Illuſtris, alienationes quasdam fecerit in præjudicium regni ſui & contra Regis honorem; Nos eidem Regi dirigimus ſcripta noſtra, ut alienationes prædictas, non obſtante juramento, ſi quod fecit de non revocandis eisdem, ſtudeat revocare. Quia cum teneatur, & in ſua coronatione juraverit, Jura Regni ſui & honorem coronæ illibata ſervare, illicitum profecto fuit, ſi præſtitit de non revocandis alienationibus hujusmodi Iuramentum: & propterea penitus non ſervandum.* conf. PEREGRINVS *de Iure Fiſc. Lib. 1. tit. 7. n. 14.*

§. XXI.

Cum autem Succeſſor in principatum etiam Jure ſingulari, illa quæ Anteceſſor ad dignitatem & Regimen Principatus tuendum fecit, teneatur præſtare

Hinc non ſolum à Succeſſore ſed ab ipſo alienante Domania re-

FRANZK.

vocari poſſunt. FRANZK. *Lib. 3. Reſolut. 1. n. 156.* Licet perſonam ejus non repræſentet, dignitatem tamen & regimen idem ſubeat, ſicque regionem cum cauſa conſequatur, uti ICtos Marpurgenſes pronunciaſſe refertur in *Conſil. Marpurg. Lib. IV. Conſ. 50. n. 29.* Quæſtio non immerito exiſtit: an talis ſucceſſor obſtrictus ſit, alienata Domanialia in manibus tertii relinquere, an vero revocare poſſit? Facilis extat Reſponſio, quoniam Domanialia bona nec habile objectum alienationis conſtituerunt, ita etiam à ſucceſſore revocabuntur, & multo magis cum ipſe Princeps alienans ad revocationem admittatur; Sic quoque conditio obligationis ex perſona hæredis non immutari, aut hæres durius obligari debet *L. 2. §. 2. ff. de V. O. L. 56. ff. de Condit. & demonſtrat,* & ubique ſi invalida eſt obligatio, hæredi factum defuncti revocare permiſſum eſt, ſecundum enim GROT. *de I. B. & P. Lib. 2. Cap. 14. n. 12. §. 4. Si quo caſu contractus incipit vergere non ad damnum modo aliquod, ſed ad perniciem publicam, ita ut ab initio Contractus in extenſione ad illum caſum cenſendus fuiſſet injuſtus & illicitus, tunc non tam revocari is contractus poteſt, quam declarari, eum non ultra obligari, quaſi factum ſub conditione, ſine qua juſte fieri non potuit, conf.* CASP. ZIEGLER *de Iur. Majeſt. Diſſ. I. Aph. ult.* confirmat hancce ſententiam *L. 7. C. de Agricol. & Cenſit. L. 38. ff. Solut. matr.* ita ut licet alias is, qui Jure ſanguinis ſuccedat, ad factum defuncti patris vel avi præſtandum obligetur KLOCK *de Contribut. Cap. 8. n. 76.* hoc tamen de contractu valido intelligendum ſit, qui nempe ad dignitatem & utilitatem Reipublicæ eſt initus, & cum Juſtitia & æquitate conjunctus; alias enim

uti-

utique heredi quoque hujus revocatio permiſſa, uti *in all. LL.* traditur, conf. HARTM. PISTOR. *Lib. I. Obſerv. 190. n. 10.* Et ſic etiam ſententiæ Ddrum *pr. h. §.* de ſingulari Succeſſore allatæ, non aliter ſunt intelligendæ. Curioſum Electoris Saxonici revocationem Domanialium bonorum intendentis exemplum refert KLOCK *de Ærario Lib. 2. cap. 45. n. 12.* quod celebri in loco Cancellarium ſuum interrogaſſe feratur, annon in *Corpore Jur.* de ejusmodi bonis alienatis iisque recuperandis reſcriptum extaret? qui cum Codici *tit. de Revocand. Donat.* inſertum eſſe reſpondiſſet; bene eſt, dixerit Princeps, operæ itaque pretium erit fratre defuncto, meque ad Gubernacula admoto ei ut conſulam, & indebite alienata reperam.

§. XXII.

Utut in Jure conſtet, Principem libere donare poſſe, modo naturali facultate non impediatur *L. 18. C. de Jure deliberand.* & Principum proprium eſſe dicatur, ut liberalitatem exerceant, *L. 7. ff. de Donat.* imo in *Nov. 7. Cap. 2.* magno deſuper elogio ſint muniti; cum quo conſpirat Jus Canonicum, ita ut hoc putet, quamvis Princeps ſponte donet, tamen ad donationem ſeſe obligatum exiſtimare debeat. *Cap. 1. X. de Donat.* BARBOS. *ad h. l.* MYLER. *ab* EHRENBACH. *in Nomolog. Imper. c. 2. n. 18.* & multis ante privatos gaudeat in donationibus prærogativis TIRAQVELL. *de Nobilit. c. 37. add.* Dn. de BERGER *in Diſſert. de Donat. Princip.* attamen donatio in Domaniis ipſi neutiquam erit permiſſa, quoniam in hiſce abſoluta non gaudet poteſtate. Donationem autem proprie eſſe ſpeciem alienationis nemo

Neque de Domanialibus donare poteſt Princeps, quoniam donatio eſt ſpecies alienationis.

Digitized by Google

unquam in dubium vocabit, vid. *L. 14. §. 2. C. de SS. Eccleſ.* conf. *Cap. V. X. de reb. Eccleſ. non alienand.* verb. *Nulli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ, ſive agrum ſive ruſticum mancipium, neque ſpecialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet donationem, venditionem, permutationem, & Emphyteuticum perpetuum contractum.* Et ſic obſtabit Principi eadem exceptio, quod nempe de ſuo liberalis debeat eſſe, de bonis nempe Patrimonialibus, vel etiam de fructibus Domaniorum, utpote in quibus plenum & absque ulla reſtrictione conſequitur dominium, nec eos demum conſumptione ſuos facit, uti quibusdam viſum, ſed pleno Jure, perceptione facta, ad hæredes ſuos transmittit.

§. XXIII.

Bona Domanialia non in feudum à Principe concedi poſſunt.

His omnibus ſeſe ita habentibus, alia adhuc exiſtit quæſtio: An nempe hæc bona Domanialia in feudum cuidam à Principe concedi poſſint? Putant quidam affirmandum, quoniam Princeps augeat inde dignitatem ſuam, quamplurimos Vaſallos ſibi comparando, neque etiam detrimentum accedat Reipublicæ, quoniam renovatio Inveſtiturarum conſueto tempore debeat fieri, imo quandoque feuda deficiente ſucceſſore maſculo ad concedentem revertantur, hocque ſine omni onere, ſic non prohibendum eſſe Principem, conditionem Domaniorum & redituum meliorem facere cupientem. Sed aliter conſideramus hucce ſtatum cum GROT. *de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 6. §. 9.* qui putat, ſub alienatione merito comprehendi infeudationem, quoniam & hæc conditionalis ſit obligatio; & licet

licet concedendum, Principem augere dignitatem, numerum Vaſallorum comparando, ita ut aperturæ Feudorum fieri quoque poſſint, ubi gratis iterum tali modo alienatum Domanium in patrimonium Reipubl. reverteretur; tamen de ſola dignitate non Princeps in Republica qua talis vivere poteſt, caſus autem ſecundus fortuitis eſt adſcribendus, ubi interea Respublica Domaniorum facta infeudatione, incommoda ex nimiis tributis, & immoderatis collectis, dum Princeps pro dignitate ſuſtentari debet, ſat citò ſi ſat bene ſentit; quibuscum conſent. LYNCKER. *Vol. I. Reſp. 2. n. 71.* verb. So viel nun hiernächſt die *Bona menſæ* oder Tafel-Güter betrifft/ſeynd dieſelbe an ihnen ſelbſt per Legem (anderſt denn es mit denen gemeinen *bonis Eccleſiæ* beſchaffen/) ſchlechterdings *inalienabilia;* und kan davon nichts zur Verwendung/ es ſey denn *per illum ipſum, qui in hanc Legem prohibitivam diſpenſandi poteſtatem habet*, gebracht werden. *Hanc in rem proſtat, Conſtitutio* VRBANI PONTIFICIS I. *F. 6. pr. ne Tituli, hoc eſt bona pro titulo Clericis aſſignata, ſive ad neceſſariam Clericorum ſuſtentationem deſtinata, in feudum dentur.* Dergleichen auch von denen *Decimis per Conſilium Lateranenſè* conſtituiret iſt. Ita quoque, ut nec accidente ſolennitate Canonica hæcce alienatio fieri poſſit, *Id. no. 75.* Sic ex hiſce facillime eluceſcit, quid ſentiendum, quando ejusmodi Domanium, in feudum hæreditarium Erb-Lehn alicui velit concedere Princeps, utpote quod majorem adhuc contineret alienationis ſpeciem, & ſic omnino etiam foret illicitum. Hæc omnia in Imperio Romano-Germanico per Capitulationes Statuum cum Imperatore ſunt deciſa, ita

Digitized by Google

ut is ante actum Coronationis debeat promittere, ſe ſine conſenſu illorum, neque in feudis apertis quenquam inveſtiturum, ſed omnia pro ſua dignitate conſervaturum, quemadmodum in omnibus Imperatorum Capitulationibus legitur cautum.

§. XXIV.

Pignus quoque vel Hypotheca cum effectu in Domanialibus conſtitui non poteſt.

Sed inquirendum quoque in conſtitutionem pignoris, & diſcutiendum: An Princeps valide res Domaniales oppignorare poſſit? Oppignorationem eſſe ſpeciem alienationis, nemo, cui natura hypothecæ vel pignoris (quas inter nulla quoad Jus Reale & actionem realem intercedit differentia,) quodammodo nota eſt, in dubium vocabit. In tantum enim Jus reale veri Domini labefactatur, in quantum illius, cui hypotheca conſtituta, ſecuritati inſervit, conſequitur enim per hancce conſtitutionem facultatem diſtrahendi pignus, quocmodo hæcce uberius docet *Tit. ff. de diſtract. Pign. vel Hypoth. ibique* VOET. imprimis ſi creditor in mora ſit, conf. MEV. *P. 8. Deciſ. 250.* Sic etiam non dubitandum puto, nec Principi oppignoranti res Domaniales, facultatem regulariter & cum effectu competere, ſed ſi hæc facta ſit, fiat ipſo Jure nulla, neque unquam afficiat hæc bona; Ratio enim, propter quam conſtituta ſunt, ſe ad oppignorationes, ex quibus tandem venditiones, & quandoque lamentabilis creditorum Concurſus, plus juſto debitis hiſce bonis oneratis exiſtere poteſt, ceſſat; & ſic hoc admitteretur, in effectu alienabilia hæc bona cenſerentur, quoniam pignorum Conſtitutiones ultra earum vires ſemper poſſint extendi; Sic & pignora in Domaniis Principum conſtitui non poſſe puta-

putavit MENCK. *in Theor. & Prax. ff. ad Tit. Quæ res. Pign. vel Hypoth. n. 2.* Dn. BÖHMER *in compend. ff. ibid. §. 2. in f.* Sed audiamus GROTIVM, qui alia ratione ex Jure Naturæ nobis contradicere videtur, *Lib. 2. cap. 7. §. 13.* verba ejus ſunt ſeqq. *Partes autem patrimonii pignori opponi ex cauſa poſſunt à Regibus, qui plenum habent Imperium, i. e. qui Jus habent ex cauſa tributa nova indicendi. Nam ſicut populus tributa ex cauſa indicta ſolvere tenetur, ita & rem ex cauſa pignori oppoſitam luere.* Sed nollem ex hiſce affingere GROTIO, mentem ipſi fuiſſe, rem Domanialem ſimpliciter oppignorari poſſe, ſed ſolum indicat, quod populus liberare debeat ipſam rem, quam propter cauſam Princeps pignori dederit, ubi exceptio eſt à regula, cum enim ſupra *§. 11.* dixerit, quod tale patrimonium populi, neque in totum neque per partes alienari poſſit, vix aliud videtur in mente habuiſſe, quam regulam iſtam limitare, ſi nempe pignorationem ex cauſſa, nempe ſontica & permiſſa faciat. Hinc etiam miror, à Viro ſummi Judicii CASP. ZIEGLERO *in not. ibid.* eum deſuper refutatum, verb. *Patrimonium ipſum dixit eſſe inalienabile §. 11. At ſi partes alienari poſſunt, per partes ſubinde alienatas ipſum totum tandem peribit. Alienatio enim per partes toties fieri poterit, ut nihil amplius reſtet. Quo circa rectius videntur ſentire illi, qui extra caſum neceſſitatis & utilitatis publicæ, ne quidem in partibus Patrimonii largiuntur facultatem oppignorandi,* vid. CAR. MOLINÆ. ad Conſuetud. Pariſ. Tit. I. §. 3. PETER ANT. DE PETR. de poteſt. Princip. cap. 32. n. 199. CASTRENS. Conſ. 70. no. 7. *Poſito ſcil. patrimonium eſſe à populo Imperantibus conſtitutum.* Cum

Digitized by Google

tamen potius debuiſſet in oculis habere, GROT. loqui de ea oppignoratione, quæ ex cauſa, ex qua etiam Princeps poſſit tributa indicare, & Jus collectandi exercere, proficiſcatur. In Imperio Rom. Germ. ratione Imperatoris cautum legitur in Capitulatione LEOPOLD. JOSEPH. ET CAROL. *Art. 12.* Ohne Wiſſen/ Willen und Zulaſſen gemeldeter Churfürſten/ ſämtlich nichts hingeben/ verſchreiben/ verpfänden/ verſetzen.

§. XXV.

Bergerus ſtatuit, Domania ſimpliciter in caſu, ubi alienatio non per Legem ſit reſtricta, eſſe alienabilia, ſed rationes ejus non eſſe ſufficientes demonſtratur.

Aſt nobis è diametro contradicit Illuſt. Dn. *de Berger* in *Diſſert. de Donat. Princ. §. 39. ſeqq.* putat enim, Domania extra caſum pacti vel Legis ſimpliciter eſſe alienabilia, & hoc ex ea ratione, quoniam Ddrum fundamenta, quæ pro ſua allegare ſoleant ſententia, non ſint ſufficientia. Argumenta autem pro ſtabilienda ipſius ſententia conſiſtunt in eo, quod ſcil. illa, quæ Jure divino non ſint prohibita, naturali libertati relicta, tamdiu præſumantur libera, donec prohibitio aliqua oſtendatur, hinc & antiquo Germanorum Jure, alienatio bonorum Domanialium ſemper pro licita habita fuerit, ea autem Sententia, qua Princeps alienatione interdicatur, illum longe infra privatorum ſortem detrudat, ipſiusque conditionem deteriorem faciat. Sed quod pace tanti Viri dixerim, licet rationes Ddrum, quas ipſe allegat, de facili per ipſius reſponſiones ſint deſtruendæ, tamen non invenio, propria ipſius argumenta Domaniorum alienabilitatem demonſtrantia, rei ſatisfacere. Objectum enim circa quod verſamur aliter ſeſe habet, & hoc à prima fundatione & inſtitutione dependet, licet in ſpecie prohibitio aliqua non accedat, e.gr. Si quis Legatum

tum quotidiani victus & amictus pauperum, vel etiam agrum aut villam, ad ſuſtentandos Miniſtros Eccleſiæ leget, licet prohibitionem nullam adjecerit, tamen Legata res per ſe non eſt conſumptibilis, nec fundus Eccleſiæ legatus alienabilis, quoniam hoc intentioni legantis adverſaretur; Sic etiam intentio Reipublicæ, Domanialia Principis ſuſtentationi deſtinantis, eſt perpetua, vult enim hæc ſemper gubernari, & gubernatorem temporalem, ex hiſce bonis alimenta capere, quæ intentio utique deſtrueretur, quando promiſcue alienatio concederetur, & tandem onus alimentandi Principem, de novo in Rempublicam retundaret, hinc & hoc caſu generali prohibitione opus fuit; quod autem certis in Regionibus ſpecialis prohibitio introducta fuerit, & Principes ſeſe huic velle ſtare juramento obſtringant, hoc non mutat naturam rei inſitam, ſed potius inde factum, quo ſemper recenti in memoria talia Principes habeant, nec ſtudio & appetitu alienationis ſuſcipiendæ divexentur, deſuper quoque ſemper religionis Jurisjurandi ſint memores. Sed cui inde in mentem venerit, Principes exinde deterioris privatis eſſe conditionis, eandem enim in patrimonio ipſorum privato, imo majorem quam ſubditi habent licentiam, & præterea ex Domanialibus, quorum proprietas Reipubl. eſt, fructus, aliaque commoda Reipublicæ percipiunt, dulcique fruuntur odore, lucrum ex qualibet re percipiendi; nec hoc Majeſtati ipſorum eſt inconveniens, reſtrictum in Domanialibus habere Dominium, quod ex pactis deſuper inire ſolitis, quotidie videmus, & feudorum exemplo quoque poſſet demonſtrari, ni temporis

Digitized by Google

ris habenda ratio adhuc alia momenta ſubmiſtraret. Quam ob rem etiam alienationem horum pro actu ipſo Jure nullo declarat GROT. *de J.B. & P. Lib. 2. cap. 14. th. 2. no. & th. 12. no. 16.* Quod autem eſt nullum, neque ex lapſu temporis convalidari poteſt.

§. XXVI.

Exceptiones ſuppeditantur, in quibus caſibus Domania fiunt alienabilia.

Regulariter itaque, Domanialia bona ſunt & manent per ſe ac ſua natura inalienabilia, ſed cum nulla regula in Jure tam firma ſit, quæ non certo modo ſuas patiatur limitationes, ita eodem modo in Domaniis. Alienantur itaque 1.) Tempore neceſſitatis, & ſi ſalus publica alienationem exigat, ſi videl. nulla alia via ſuperſit damnum imminens avertere, ubi tali caſu etiam omnes Reipublicæ LL. reſtringendas eſſe monet STRYCK. *Diſſert. de ſalute Publ. Cap. 2. n. 1.* Neceſſitatem enim non habere Legem decantatum ab ULPIANO in *L. 7. ff. de Adminiſt. Tutor.* licitumque reddit, quod alioqui foret illicitum, *Cap. 4. X. de R. J.* ubi autem neceſſitas ſolum publica, non privata attenditur, vid. MENOCH. *Conſ. 426. n. 35.* LATHER. *de Cenſu Lib. I. Cap. 17.* quare cautelam privato emptori Domanialium ſuppeditat STRYCK. *de Caut. Contr. Sect. I. Cap. 3.* 2.) quando accedit illorum, quorum intereſt, conſenſus, hocque pro diverſo cujuscunque regionis ſtatu, in Germania vel ordinum Imperii, vel Provincialium requiritur conſenſus. CHRISTIN. *Deciſ. Belgic. Vol. 5. Deciſ. 80. n. 18.* MODEST. PISTOR. *P. I. Conſ. 15. n. 10. conf. Cap. I. X. de rebus Eccleſ. alien. L. 5. C. de SS. Eccleſ.* 3.) Si inde conditio ſtatus Principalis redditur melior, arg. *L. 17. C. de SS. Eccleſ.* videl. ſi bonum Domaniale exiguum in majus convertitur,

titur, Regnoque incorporatur, non vero debet eſſe melioratio apparens, ſed revera talis. Uti ſupra §. 23. eſt dictum.

§. XXVII.

Apanagium etiam in Domaniis conſtitui poteſt.

Sic & 4.) Apanagium *nonnullis Appennagium* ex iis conſtitui ſolet, hoc modo quando Princeps primogenitus, reliquis Principalis ſanguinis liberis, Domanii partem utendam fruendam concedit; De hocce quomodo utatur, quamdiu duret, & quando revertatur ad domum Sereniſſimam, ſpeciali egit Tractatu SPRINGSFELD *de Apanagio.* Alienationem autem quandam in ſe continere Apanagii conſtitutionem, nemo facile in dubium vocabit, ſic in rationes paululum inquiremus, cur in Domaniis hoc modo alienatio permiſſa; conſtat, in regnis hæreditariis regulariter omnes ſuccedere, qui in eodem gradu ſunt, & Principatum ita tenere. Cum itaque tali in caſu Reipublicæ quoque incumbat, omnes pro dignitate ſuſtinere, ſequitur eidem quoque onus adſcribi, ubi Jus primogenituræ Lege, conſuetudine, Præſcriptione, aliisque modis habilibus, in utilitatem Reipublicæ ad evitandas innumeras diviſiones introductum; ſic & alimentorum nomine Apanagium venire notat PELLER. *in not. ad* KLOCK. *de Ærario P. I. cap. 7. n. 27.* quæ in Jure haud exiguum merentur favorem. Hinc Apanagia ex Domaniis conſtitui ſolere utplurimum arbitrantur, vid. CHOPPIN. *de Dom. Franc. Lib. 2. Tit. 3. n. 2.* Dn. de COCCEJ. *in Jurisprud. Publ. Cap. 27. n. 12.* OCKEL. *de Præſcript. immemor. Cap. 3. th. 35.* Quamvis etiam non dubitandum, rationes in contrarium inveniri poſſe, Regnum videlicet non eſſe oneran-

randum, ubi bona Patrimonialia ſufficientia ſint, ad Apanagium conſtituendum.

§. XXVIII.

Recenſentur Sententiæ eorum, qui præſcriptionem, Domaniorum admittunt, & qualem?

Reſtat ut paucis de Præſcriptione agamus, & videamus, an præſcriptio in bonis Domanialibus ſit admittenda: Juri Gentium hanc originem debere volunt, quod ſcil. præſumptio ſit, res, quæ tanti temporis ſpatio derelictæ, occupantis dominio eſſe adjectas, quo & lites ab immortalitate vindicentur, vid. MENCK. *in Theor. & Prax. ff. Tit. de Uſurpat. §. 2.* conf. OCKEL. *de Præſcript. Immemorial. Cap. 3. th. 25.* Determinatio autem temporis ex Lege dependet poſitiva, ſic in Jure aliud tempus præfixum circa uſucapionem mobilium; aliud circa immobilium, aliud circa bona ſimpliciter talia, aliud circa bona extra commercium conſtituta, uti hæc omnia ex *Tit. ff. de Uſurpat. & Uſucap. & Tit. C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* elucent, conf. STRYCK. *Uſ. Mod. ff. eod.* HAHN. ad WESENB. circa Domania vero quidam præſcriptionem quadraginta annorum admittunt, *arg. L. 4. C. de Præſcript. 30. vel 40. Annor.* BOER. *Deciſ. 264. n. 25.* Alii vero tempore demum Immemoriali præſcribi putant. BESOLD. *Theſ. Pract. voce* Cammer-Güther, BRUNNEMANN. *Conſil. 129. n. 29. & 132. n. 11. & 13.* MENCK. *ad Tit. ff. de Uſurp. & Uſucap. §. 2.* Ubi ita Facultatem Jurid. Lipſienſ. reſpondiſſe refert, provocantque communiter ad RECESS. IMPER. *de Ao. 1548. §.* Wenn auch ein angezogener, verb. Weit über Menſchen Gedencken, *cap. 26. X. de V. S.*

§. XXIX.

Quomodo probari im-

Immemorialis autem poteſt probari præſcriptio, non

non ex lapſu certi cujusdam temporis, ſed per teſtes maxime ſenes, qui facti notitiam habent, & deponere debent, quod hactenus ſemper ita viderint, audiverint, nec unquam à majoribus vel ſenioribus aliter acceperint, FULV. PACIAN. *de Probat. Lib. 1. cap. 29. n. 47.* quidam requirunt, ut hi teſtes 50. annos exceſſerint, vid. KLOCK. *Conſil. 15. n. 15.* quidam volunt, ut ſint 54. annorum, quo per quadraginta annos deponant de viſu, de reliquis de auditu. MASCARD. *de Probat. Vol. II. Concluſ. 1047. n. 5. & 6.* Unde putavit ZIEGLER AD LANCELLOTT. *Lib. 1. Tit. 13. §. 26.* multum fidei horum teſtium teſtimonio tribuendum. Hinc etiam minus commode per inſtrumentum probari, memoriam non amplius extare, (quoniam ultra id, quod in eo non contineatur, non extendendum) demonſtravit STRYCK. *Tract. de Jure Senſ. Diſſert. 8. Cap. 3. n. 23.* Quæ ſolennia porro ſoleant adeſſe immemoriali præſcriptioni, & an Bona fides in ea requiratur, quibusque modis interrumpatur, ea omnia operoſe collegit OCKEL *de Præſcript. Immemor. Cap. 8. & 9.* memorialis præſcriptio poſſit.

§. XXX.

Nobis circa hæc omnia maximum movet dubium, quomodo res uſum perpetuum habentes à ſubditis poſſint præſcribi? Ddres equidem omnia, etiam vitio maximo laborantia, præſcribi certo temporis lapſu ſtatuunt, & nullam rerum quarundam exceptionem admittunt. His omnibus tamen non obſtantibus putamus, res Domaniales, quoniam habile uſucapionis privatorum objectum non conſtituunt, etiam plane Res Domaniales Præſcriptioni eſſe obnoxias negatur.

 præ-

Digitized by Google

præſcribi non poſſe, quod ex introducta Præſcriptionis ratione ſat clare apparet, vult enim hæc dominia rerum non debere eſſe in incerto, ubi ſine dubio dominia rerum privatarum intelligi debent, ſuper publicis enim & uſui Principis deſtinatis nulla poterit exiſtere controverſia, quod horum dominia ſint in incerto, utpote quæ uſum perpetuum habent, & ſemper ſunt penes Rempublicam, & cum talium rerum admitteretur præſcriptio, finis utique, quem præſtare debent, ceſſaret, ac Regni Succeſſoribus præſcriptis Domanialibus vacua umbra Principatus ſuper eſſet; Rectius itaque faciunt illi, qui præſcriptionem in hiſce nullo tempore admittunt. Poſſent hæc fuſius demonſtrari, ſed ob temporis rationem habendam abſtineo, & remitto B. L. *ad Illuſtr.* DN. THOMAS. *Diſſert. de Præſcript. Regal. ad Jura ſubditorum non pertinente*, imprimis *Cap. 3.* ubi ſolidis deduxit rationibus, infeliciter præſcriptionem regalium ad ſubditos extendi, & ad diſſentientium argumenta reſpondit, quod confirmat LYNCKER. *in Reſp. Vol. I. Reſp. 2. n. 86.* Indem nun zu einer rechts beſtändigen Veräuſerung der Biſchöfflichen Tafel-Güther/ des Papſts/ oder auch der Käyſerlichen Majeſtät/ conſens allerdings von nöthen iſt. So kan die Länge der Zeit, binnen welcher ſolcherley Güther in anderer Hände geweſen, alſo viel daß dergleichen Conſens von Anfange darzu vor ausgebracht zu ſeyn gehalten werde/ nichts würcken. *Non enim juvat præſumptio temporis, ceu nec ipſum tempus juvat, eos poſſeſſores, in re quadam, quam poſſidendi & Uſucapiendi, ob ſimplicem Legis prohibitionem incapaces ſunt. Ne quidem ſi id foret immemoriali tempore.*

§. XXXI.

§. XXXI.

Quare non mirandum, JCtos noſtros per introductionem præſcriptionis in Domanialibus, vires Rerumpublicarum, imprimis nondum adeo cultis temporibus, mirum in modum labefactaſſe, conſtat enim ex antiquorum temporum hiſtoria, quantæ alienationes in Imperio factæ, quantum Domaniorum facultates exhauſtæ, ita ut quidam, malo huic occurrere ſtudentes, haud inepte in eam prolapſi ſint ſententiam, præſcriptionem tunc locum non habere, quando Principi non ſuppetant neceſſaria vitæ ſubſidia, probe ſentientes, hacce præſcriptione univerſaliter valente, Principem tandem de paupere regno fore. Uti hanc ſententiam tuetur HUGO *de ſtatu Region. Germ. Cap. 6. n. 26.* verb. Denn auch eine ſolche Verjährung nicht wohl zu Rechte beſtehen möchte / ob gleich die Veräuſernng des Domanial Guths / mit Einwilligung des Pabſts, und gewiſſer Maſſen mit Genehmhaltung Käyſerlichen Majeſtät beſchehen wäre: Wann nehmlich ein Biſchoff an ſeinen Einkommen und Tafel-Güthern / oder ein Fürſt des Reichs an ſeinem Fürſtenthum dergeſtalt geſchwächet worden wäre / daß der erſte ſeines Standes gebührende Unterhaltung nicht mehr haben könnte / und der andere ſeinen Fürſtenmäßigen Stand nicht mehr zu führen / noch dem Römiſchen Reich ſeine Dienſte weiter zu leiſten vermöchte. Dannenhero bey dergleichen Umbſtänden eine jedwede *alienatio & præſcriptio* bedencklich fallen dürffte, abſonderlich da man vorher mit gründlicher Ausführung nicht verſehen / wenigſtens von allen und jeden Beſchaffenheiten benachrichtiget geweſen.

Confuſiones maximas ſententia præſcriptionis circa Domania peperit.

§. XXXII.

Concluſio. Siſto hic pedem L. B. & te iterum, iterumque rogito, velis ignoſcere calamo feſtinanti, tibi hancce materiam non ad guſtum exaſciatam ob oculos ponenti; ſcio equidem & lubentiſſime fateor, dignitatem hujus argumenti eſſe tantam, quæ ulteriorem mereatur inquiſitionem, ſed & tibi non poſſum occultare, me tam negotiis propriis, quam invidia temporis, quod ad altiora accingenti mihi non aliud quam breve ſuppetiit ſpatium, fuiſſe impeditum, ita ut latius vagari in diſſertatione propoſita non potuerim; reputavi inſuper, hæcce ſpeciminis Inauguralis loco eſſe ſufficientia, utpote in quibus non farrago, & cumulatio magna quæſtionum requiritur, ſed ſolum Thematis propoſiti clara ac ſuccincta enodatio, quod & præſentibus me effeciſſe ſperabo. Hinc & rependo Divino Numini gratias laudesque ſempiternas, pro conceſſis huc usque viribus, omniaque ex ipſius gratia profecta eſſe ingenue & lubentiſſime fateor.

TANTVM.

COROLLARIA.

I.

Cucurbitatione ſola non amittitur feudum.

II.

Status Imperii, in ſuis territoriis optimo Jure con-

condere poſſunt Leges, Imperii LL. contrarias.

III.

Licita omnino ſuper re certa eſt transactio, nec hæc alio modo, quam alia transactio, infirmatur.

IV.

Parentum poteſtas in pecunia luſtrica eſt reſtricta.

V.

Pacta nuda, tanquam obligatoria, Juri Germanico originem debere, falſum eſt.

VI.

Mulier Juramento confirmans interceſſionem, ſive pro marito, ſive pro extraneo factam, non poteſt confugere ad Beneficia SCti Vellejani & Auth. Si qua mulier, licet horum in ſpecie non ſit certiorata.

VII.

Naturæ defenſionis congruum, ut edantur à Judice Acta ad formandam defenſionem pro avertenda Inquiſitione.

VIII.

Dos uxoris non ex liberalitate proficiſcitur, ſed ex neceſſitate Juris.

IX.

Digitized by Google

IX.

Neque filia abſque conſenſu Parentum matrimonium iniens perdit beneficium dotis.

X.

Moto Concurſu Creditorum, non ſolum omnia, in quibus creditor eo tempore eſt Dominus, ſed & quæ in fraudem creditorum alienata, pertinent ad concurſum.

XI.

Sic & Pignus ſtricte ſic dictum (quod ab Hypotheca quoad Jus Reale non differt) moto creditorum concurſu, ad maſſam bonorum inferendum.

XII.

Uſuræ neque centeſimæ Jure Naturali ſunt prohibitæ.

XIII.

Ventris Inſpectio bonis moribus non eſt contraria.

XIV.

Uſuræ in ſtricti Juris Judiciis, poſt litem conteſtatam, ex mora debentur.

XV.

Stuprum infamat tam ſtuprantem, quam ſtupratam.

(o)

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Google